



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 813. Usque Ad Annum 859

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1760**

**VD18 90117867**

§. 51. Translatio Viti in Saxoniam.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66103](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66103)

Hilduini conscriptis duos Sanctos Dionysios alterum ab altero distinguunt, cum Atheniensem die tertia Octobris & Parisiensem nona commemorant. Græci vero etiam de Atheniensi, quamvis eum a Parisiensi non discernant, tertia Octobris mentionem faciunt. Viri Critices periti Sæculo ultimo errorem, qui a tempore Hilduini receptus fuerat, manifestarunt, & demonstrarunt, non unum sed duos viros Sanctos, quibus nomen Dionysius, extitisse, jamque Ecclesia Parisiensis unum alterumque alia die veneratur.

Sæculum IX.  
A. C. 875.

Sirmond. de  
duob. Dion.  
Launoi. de  
Dion. Til-  
lem. to. 2. p.  
133. 565. to.  
4. p. 442. 712.

## §. LI.

*Translatio Viti in Saxoniam.*

Cum Hilduinus, in Saxonia & Monasterio Corbejensi versatus, cognovisset, quam vehementi desiderio Warinus Abbas flagraret, illuc ex Francia alicujus Viri Sancti corpus transferendi, quo Religio Christiana in illa Provincia firmaretur, eidem promisit, si Deus se pristinae Dignitati restitui permetteret, ipsi alicujus Sancti Corpus, de quo disponere sibi liceret, esse concessurum. Paucis post diebus Hilduinus ab Imperatore Ludovico in gratiam recipitur, qui etiam Warino Abbati Corbejensi Monasterium Resbancense in Diocesi Meldensi contulit. Tunc

Transl. Vit.  
n. 3. to. 5.  
Abt. p. 532.

Sup. lib.  
XLIII, 7.

Hist. Eccles. Tom. XI.

Y

vero

Sæculum IX. vero Warinus rogare Hilduinum, ut fibi  
 A. C. 836. daret S. Viti corpus a Fulrado S. Dionysii Abbate regnante Pipino, cum Romam reverteretur (forte anno septingentesimo quinquagesimo sexto) in Franciam allatum. Vitus puer duodennis fuisse fertur, quando cum Modesto & Crescentia in Lucania Martyrii coronam consecutus est Diocletiano Principe. Hos tres Ecclesia decima quinta Junii veneratur. Tunc igitur cum Fulradus S. Viti corpus attulisset, illud commisit custodiæ cuiusdam ex consanguineis suis, qui Ecclesiam in fundo suo ædificavit, & omnia postmodum Abbatix S. Dionysii donavit.

*Boll. 15.*

*Jun. to. 20.*

*p. 1013. Til-*

*lem. to. 1. p.*

*129.*

Nunc vero Hilduinus has Reliquias Warino dedit Ludovico Imperatori Episcopo Parisiensi, & illius Diocesis Proceribus consentientibus. Traditum est S. Martyris corpus publice & solemniter in Ecclesia S. Dionysii Die Dominica decima nona Martii anno octingentesimo trigesimo sexto, & inde primo Resbacum, postea ad S. Crucem, quod Monasterium hodie S. Faronis Meldensis dicitur, atque in plura alia loca delatum. Tandem in Saxoniam & ad Monasterium Corbejæ novæ decima tertia Junii pervenit, postquam patrata fuissent in itinere plusquam quadraginta miracula, in

*Histo-*

Historia hujus Translationis additis Per-Sæculum IX.  
sonarum & locorum nominibus enume- A. C. 836.  
rata a Scriptore, cum hæc agerentur,  
præsente. Tanta fuit concurrentis po-  
puli multitudo, (\*) ut spatium plus quam  
unius milliarii circum Monasterium ten-  
torii Nobilium personarum utriusque se-  
xus, quæ ex omnibus Saxonix partibus  
confluxerant, impleretur. Nihilominus  
in tanta hominum multitudine nullæ vo-  
ces abscoenæ, nullæ scurriles, nullæ face-  
tæ audiebantur, Deum omnes diu noctu-  
que laudabant, viri feminæque in choros  
divisi in circuitu Ecclesiæ vigilabant, sæ-  
pius ad Deum clamantes, *Kyrie eleison.*  
Ita nox Vigiliæ & ipsum Festum trans-  
acta, cumque iterum complura ederentur  
miracula, rei insolitæ fama totam  
regionem pervolante undique incolæ  
pauperes divitesque sani & infirmi con-  
fluxerunt, nemo domi hære & commu-  
nis lætitiæ expers esse sustinuit.

Hæc Saxonix Neophytæ devotio fuit.

Y 2

§. LII.

---

(\*) Tanto honore primi in Saxonix Christiani & modernorum Incolarum parentes SS. Reliquias profecuti sunt!